

quantum ex se est, semper secundum totam suam energiam operatur; *a.* si principium commune esset ratio principalis figurarum singulis speciebus propriarum, jam non quantum ex se... operaretur; *e.*

ad maj. Secus deberet posse se moderare; *a.* hoc supponit spontaneitatem, ac proin cognitionem et organismum; *e.*

ad min. Jam sub iisdem actionibus externis (quod hic supponitur) mutaret effectum; *a.* haec mutatio supponit aut nunc quiescere vim quae prius exercebatur, aut nunc exerceri quae prius quiescebat, aut utrumque simul; quod est vim moderari; *e.*

Coroll. 1^m Ergo agentia externa solum producent *conditiones*, scilicet causando eum statum quo virium formativarum exercitium nec impeditur nec turbatur; — vel, ad summum, sunt causae *partiales*, sed *secundariae*, causantes solum discrimina secundaria, teste experientia.

Coroll. 2^m Ergo causa principalis nec *gravitas* est (omnibus corporibus communis), nec *impulsus* ab extrinseco impressus.

Coroll. 3^m Concordat thesis cum placitis crystallographorum, qui omnes figuram habent inter signa praecipua quibus species mineralium distinguantur.

Objic. 1^o Dantur corpora *isomorpha*, i. e. specificè diversa, eadem tamen figuram induentia; *e.* — R. *tr. ant.* (saepe sunt figurae valde vicinae, non eadem) — *d. cons.* ergo principium principale non est principium specificum, sed genericum, omnibus corporibus commune, *n*; est non semper principium strictè specificum (speciei infimae) sed latius specificum (generis proximi), *c.*

Objic. 2^o Dantur corpora *dimorpha*, i. e. specificè eadem, diversam tamen figuram induentia (sive diversis systematibus, sive in eodem systemate essentialiter diversam); *e.* — R. *a) d. ant.* specificè eadem, si considerantur elementa *ex quibus* fieri et *in quae* resolvi possunt, *c*; si consideratur status in quo sunt, *n*; — *n. cons.* (*N. B.* Dimorpha differunt non solum figura, sed et colore, duritie, densitate, calore specifico, viribus chemicis... ergo merito negantur esse actu ejusdem speciei). — R. *b) d. ant.* quae sub influxu vis ab extrinseco illatae... *c*; quae sibi permissa, *sd.* diversas figuras tamquam sibi aequè proprias ac firmas assumunt, *n*; ad unam propriam et firmam tendunt, alias ut intermedias, mox relinquendas, *c.*

Objic. 3^o Haec thesis tribuit vitam mineralibus; nam actio immanens est quae provenit a principio intrinseco et cujus effectus manet in subjecto; *a.* thesis tribuit ipsi corpori principium intrinsecum ipsius figurae; *e.* — R. *n. assert.* — *d. maj. prob.* a principio intrinseco eidem subjecto in quo manet effectus, *c*; aliis subjectis in se mutuo agentibus ut in collectione seu in composito maneat effectus, *n*; — *c. d. min.* (pars entitatis una in alteram agit).

Inst. In data responsione supponuntur partes actu distinctae; *a.* in corpore partes non sunt actu distinctae; *e.* — R. *c. maj.* — *d. min.* in contiguo (quale supponi potest nunc), *n*; in continuo (quale etiam supponi potest), *sd.* non

actu distinctae partes formatiter spectatae, *c*; materialiter spectatae, *n.* (*N. B.* Nihil officit quod in continuo partes non sint actu formales, nam quod partes entitatis proprios definitos limites habeant vel non habeant, hoc nihil mutat quoad earum entitatem et proprietates essentielles quibus operentur aliae independentè ab aliis).

Schol. 1^m *Quomodo crystalli crescant.* — R. 1) Non actione immanente, i. e. intussusceptione et conversione substantiarum atque assimilatione, sed per solam externam partium additionem.

2) Singulae particulae, agunt independentè a concursu aliarum, aliter scilicet ac fit in generatione vegetali.

3) Non novae generantur, sed praeexistentes consociantur partes, certis cohaesionis legibus.

4) Omnes crystalli partes sunt ejusdem ac totum structurae, desunt organa, diversitas operationum,...

Schol. 2^m *Quae sit causa proxima figurae crystallinae.* — R. 1) Physici omnes crystallisationem ad symmetricam et regularem dispositionem particularum reducant.

2) Sed hujus ipsius dispositionis causam proximam *alii* repetunt ex primarum chemicarum molecularum figura jam regulari et specifica; — *alii* repetunt unice ex symmetrica actione cohaesionis particularum, quae secundum diversas directiones virtute diversa agat; — *alii* repetunt simul ex actione symmetrica cohaesionis, et ex regulari densitate particularum uniformi pro eadem, diversa pro diversis crystallis; in amorphis enim irregularis esse potest densitas variarum partium pro adjunctis.

3) Ex his tribus explicationibus minus videtur sufficere prima, quia de singulis particulis, moleculis... redibit eadem quaestio integra; — melior secunda; — at optima et omnia apte explicans tertia.

Propositio 22.

Impenetrabilitas corporum repetenda est ex naturali, omnibus corporibus communi activitate resistiva, qua corpus corpori, partes partibus obstant ne eundem simul locum occupent.

Stat. quaest. 1) Quaeritur quid intrinsece sit impenetrabilitas; et alii respondent corpus esse actu impenetrabile vi ipsius suae *quantitatis*, ita ut sit impenetrabilitas ipse effectus primarius quantitatis.

Alii dicunt: per ipsam *extensionem localem actualem* seu per ipsam suam *ubicationem* circumscriptivam, qua habet partes extra partes.

Alii dicunt: per *naturalem incapacitatem* habendi alias ubicationes quam circumscriptivam, qua sint partes extra partes, et corpus extra corpus.

2) Dicimus nos corpus esse actu impenetrabile ex aliqua *activitate efficiente*, quam singulae corporis partes exercent, vi alicujus potentiae activae particularis, toti corpori inhaerentis, et proinde singulis etiam entitatibus partialibus.

3) *Naturali*, i. e. quae vi ipsius naturae requiritur sicut ipsa quantitas, et omnes proprietates, nec nisi miraculo impediri posset.

Omnibus communi, i. e. non sicut figura diversa pro diversis speciebus, sed generica, eadem pro omni corpore; non ergo confundenda cum duritia vel rigiditate, quae figurae deformationem vel condensationem impedit.

Prob. 1° Impenetrabilitas explicanda est aut per ipsam quantitatem formalem, aut per extensionem localem actualem, aut per naturalem incapacitatem alius ubicationis suscipiendae, aut per vim resistivam; — *a.* nulla ex tribus prioribus valet; *e.* sola ultima.

Ad min. 1 part. (non per quantitatem formalem). Cfr. supra prop. 14.

Ad 2 part. (non per extensionem actualem). Haec extensio, seu ubicatio circumscriptiva, per se nihil aliud dicit nisi actualem positionem partium aliarum extra alias, abstrahit autem a possibilitate vel impossibilitate positionis alius, qua partes essent aliter ubicae simul inter se, vel simul cum partibus alterius corporis; *a.* impenetrabilitas hanc impossibilitatem ipsam dicit, non vero solam positionem actualem impenetrationis; *e.*

Ad min. 3 part. (non per incapacitatem...). Quaeritur quid sit impenetrabilitas, seu impossibilitas penetrationis; *a.* respondere per incapacitatem ubicationis penetrativae, est respondere tautologice, non explicare; *e.*

Prob. 2° Impenetrabilitate sua corpus 1) extensionem suam localem actualem conservat, 2) impedit quominus aliud corpus eundem secum locum occupet, 3) resistit alterius corporis motui in conflictu; — *a.* tales effectus concipi nequeunt nisi causa sit activitas resistiva partium inter se, totius ad alia; *e.*

Objic. 1° Ut una pars in alteram partem actu exerceat vim resistivam, debet ab ea actu distingui; *a.* hoc in uno corpore continuo falsum est; *e.* — *R. c. maj.* — *d. min.* partes entitative spectatae (i. e. secundum totam suam entitatem positivam) non distinguuntur actu, *n.*; formaliter spectatae (i. e. secundum suos terminos, negationem ulterioris protensionis), *c.*; — *n. cons.*

Objic. 2° Actio transiens est inter adaequate distincta; actio immanens est subjecti totius in se totum (strictiori sensu), vel, in subjecto eodem, partis unius in partem alteram (latiori sed vero sensu immanens); *a.* in propositione adstruitur actio unius partis in alteram ejusdem subjecti; *e.* impenetrabilitas esset actio immanens! — *R. tr. maj. 1 part.* de actu transeunte (sed cfr. ad 3 part.); — *tr. 2 part.* de actu strictius immanente (cfr. ontolog. et psychol.) — *d. 3 part.* actus latius immanens est unius partis in aliam partem agentis vi compositionis partium, et essentiae ut compositae, quae partibus tamquam instrumentis suis utatur, *c.*; agentis vi propriae entitatis, independenter a compositione totius corporis, *sd.* poterit analogice, improprie dici immanens, *tr.*; est vere et proprie immanens et vitalis, *n.* — *c. d. min.*

Schol. Consulto abstinuimus ab opinionibus recentiorum non scholasticorum recensendis circa impenetrabilitatem, quia illi 1) aut continuum non admittunt sed vires simplices, at tunc, nullum vere impenetrabile subjectum,

sed apparens tantum; quin et ipsa haec apparens impenetrabilitas reducitur ad vim activam resistentiae; — 2) aut non continuum admittunt sed puncta mathematica, at tunc nulla jam manet impenetrabilitas, nam nulla est loci occupatio vera, sed omnia subjectiva phaenomena sunt; — 3) aut continuas atomos admittunt, at plerique eas immutabiles, impenetrabiles affirmant, explicare ne cogitant quidem; vel si qui cogitant, redit nostra thesis.

Propositio 23.

Cohaesio corporum repetenda est ex varia corporibus propria activitate constrictiva, qua partes aliae alias retineant ac continent.

Stat. quaest. 1) Quaeritur quid intrinsece sit cohaesio, et variae sunt responsiones illis similes quas modo de impenetrabilitate numeravimus.

2) Respondemus eam esse *vim activam* quae partes constringat in unum, quae ipsi corporis entitati, ac proinde ipsis partibus entitative spectatis insita sit, quaque non tam corpus partes suas constringat, sed potius ipsae partes alias partes: atque exinde fit ut in minimis molibus sicut in magnis ejusdem essentiae eadem sit cohaesio, non pendens a massa corporis neque ei proportionata.

3) *Varia*, i. e. non ejusdem intensitatis in omnibus corporibus, neque etiam in eodem corpore pro variis suis statibus: crystallino, amorpho solido, liquido, aeriformi...

Corporibus propria, i. e. quae semper omni corpori competat naturaliter.

Retineant, i. e. separationem ac diffluxum non permittant; unde etiam sequetur, pro majore minore cohaesione, major minor *rigiditas* quae deformationem figurae, et *durities* quae rarefactionem vel condensationem impediatur.

Continent; i. e. ita intime inter sese uniantur, ut omnis interior partium limes tollatur, efficiaturque continuum. Atque in hoc distinguitur *cohaesio* ab *adhaesione*, haec enim partes conjunctas retinet quidem quasi conglutinatas, contiguas, sed non continuat. Sic aqua vitro, hydrargyrum zinco adhaeret, non cohaeret.

Prob. Cohaesione sua corpus 1) figuram et unitatem suam conservat, 2) resistit omni distractioni vel diffluxui partium suarum; *a.* talis effectus et lucta concipi nequit nisi causa sit activitas constrictiva partium et proinde conservativa totius; *e.*

Propositio 24.

Elasticitas est proprietas corporum resultans ex eorum impenetrabilitate simul et cohaesione varie temperatis.

Stat. quaest. 1) Quaeritur quid sit essentialiter elasticitas, i. e. qualitas qua corpora sponte propriam figuram restaurant si per compressionem vel distractionem deformata fuerint.

2) Dicimus, dogmatice potius quam polemice, ad eam explicandam sufficere simul vim resistivam et vim constrictivam de quibus modo dictum est; et varietatem elasticitatis sufficienter explicari per varias resistentiae et constrictionis intensitates et combinationes.

Prob. Per suam elasticitatem corpora 1) compressioni vel distractioni prius cedunt aliquantum, ac condensantur vel rarefiunt; — 2) si vis non tanta infertur ut frangantur vel lacerentur, mox eam vincunt, atque instaurant suam pristinam figuram; — 3) sed si ex inertia ulterius moventur partes quam ut pristina obtineatur figura, iterum redeunt in suam sedem; — 4) sic oritur partium aliqua oscillatio modo ultra modo citra propriam sedem, paulatim decrescens amplitudine, donec quies in figura pristina reperiatur; — *a.* haec omnia clare explicantur per alternantem actionem resistentiae et constrictionis, donec ad statum aequilibrum reductae fuerint corporis partes; *e.*

QUAESTIO 2.

De motu.

Circa motum duo sunt considerata, quae per duos articulos dividemus :

Articulus 1. De analysi motus.

Articulus 2. De natura motus physici.

ARTICULUS 1.

De analysi motus.

Propositio 26.

Motus apte definitur generatim : actus entis in potentia prout est in potentia.

Notiones. 1) *Motus latissime* sumptus, dicitur de qualibet operatione, etiam immanente; ita etiam Deus dicitur seipsum movere.

2) *Motus late* sumptus est quaelibet *mutatio*, id est transitus ab uno statu in alium; — ad mutationem tria requiruntur : a) subjectum mobile quod transit, b) terminus a quo transit, i. e. status prior qui relinquitur, c) terminus ad quem, i. e. status posterior qui acquiritur.

3) *Mutatio* dividitur :

instantanea, si duo termini (a quo et ad quem) sunt contradictorii, ac proinde sine medio, scilicet a non esse ad esse, vel ab esse ad non esse.

successiva, si duo termini sunt contrarii ac proinde datur medium trans-eundum = *motus proprie dictus* :

alteratio, si termini sunt qualitates.

augmentum vel decrementum : si termini sunt quantitates.

latio, seu motus localis : si termini sunt ubicationes.

Stat. quaest. Agitur hic de motu proprie dicto; at notandum, oppositionem contrariam non esse stricto sensu sumendam, sed latiori aliquo, ubi de quantitibus et ubicationibus; nullae enim sunt inter se maxime distantes nisi relative ad aliquam rem particularem.

Prob. Praeter id quod est perfectio quaedam completa, seu actus perfectus, et id quod est capacitas hujus perfectionis, seu potentia subjectiva ad hunc actum, datur tertium, scilicet acquisitio hujus perfectionis seu motus ad hunc actum; — *a.* hunc motum apte describit proposita definitio; *e.*

Prob. min. Motus iste jam non est sola potentia sed aliqua participatio actus perfecti acquirendi; est ergo aliquis actus imperfectus, qui prout est motus, includit simul actualem ordinem ad potentiam anteriorem (in qua erat subjectum hucusque), et ad actum ulteriorem (ad quem tendit subjectum); *a.* priorem ordinem exprimit vox *actus*, posteriorem reduplicatio : *entis in potentia prout est in potentia*; *e.*

ad maj. Dicit simul duos illos ordines, nam si alteruter tollitur, jam motus non est, sed terminus motus et quies, i. e. privatio motus.

Objic. 1° Quaelibet forma substantialis est actus materiae, quam informat proprie in quantum est pura potentia (nam forma quae subjectum informat non ut puram potentiam, est forma accidentalis); *a.* forma substantialis non est motus; *e.* — R. *n. maj. 2 part. — d. rat. addit.* non ut puram potentiam ante informationem suam per actum, *c*; dum actus eam informat, *n.* — *c. min.*

Objic. 2° Intellectio, volitio, sensatio sunt quidam motus; *a.* sunt actus perfecti, non actus imperfecti; *e.* — R. *d. maj.* motus latissimo sensu, i. e. operationes, *c*; proprio sensu, i. e. aliquid medium inter potentiam et actum, *n.*

Propositio 26.

Motus realiter distinguitur tum a termino a quo, tum a termino ad quem.

Prob. Id quod realiter praesupponitur ad esse alterius, vel quod altero cessante perseverat, ab eo realiter distinguitur; — *a.* 1) terminus a quo, realiter praesupponitur ad esse ipsius motus; — 2) terminus ad quem, perseverat postquam cessavit motus; *e.*

Ad maj. Habebitur ita separabilitas.

Ad min. 1 part. Terminus a quo est ens in potentia simpliciter; *a.* omne ens ut possit acquirere aliquem actum debet prius esse in potentia ad eum; *e.*

Ad 2 part. Terminus ad quem est actus perfectus; *a.* motus essentialiter est actus imperfectus, i. e. mistus potentia ad ulteriorem actum perfectum, et cessat esse motus cum attingitur actus perfectus, qui solus perseverat; *e.*

Objic. 1° « Si actus imperfectus consideretur tantum ut in ordine ad ulteriorem actum, secundum quod habet rationem potentiae, non habet rationem actus, sed principii motus, » i. e. termini a quo; *a.* idem realiter actus erit sic per solam distinctionem rationis vel motus vel terminus a quo; *e.* — *ad*

maj. Potest incipere calefactio vel a frigido vel a tepido; *e.* potest considerari tepidum vel ut motus vel ut terminus a quo. — R. *d.* 1^m *maj.* sed principii ulterioris motus disjuncte considerati, *c*; principii motus totalis, *n.* — *c. d. min.* vel terminus a quo motus totalis, *n*; terminus a quo motus ulterioris disjuncte considerati, *c.*

Objic. 2^o Illius est fieri cujus est esse: *a.* motus est forma in fieri et terminus ad quem est forma in facto esse; *e.* — R. *d. maj.* i. e. fieri terminatur ad esse, *c*; fieri est esse, *n.*

Coroll. Motus, ut talis, non est proprie aliquid, sed via seu tendentia ad aliquid; ideoque motus et terminus non distinguuntur proprie ut aliud et aliud, sed ut via ad rem, et res, habens nempe quoddam esse ratum ac firmum in ordine rerum.

Propositio 27.

Motus est essentialiter successivus.

Notiones. 1) Conceptus *successionis* componitur ex duobus: esse et non esse; scilicet: sit unum, non sit aliud; et dum est hoc non sit illud; ergo *unum ens successivum* est, si ejus partes sibi cohaerent ita ut una non sit alia, et dum est una nondum sit sequens, nec amplius sit praecedens.

2) Confundi non debent ens unum successivum et *series succedentium entium*: i. e. entium permanentium seu quorum singulorum totum esse est simul, sed quae alterum post alterum sunt, v. c. dies est unum ens successivum, at series pulsuum campanae est series entium sibi succedentium.

Prob. 1^o De notione motus est ut dum est ejus aliqua pars, haec sit actus, ac proinde jam non sit sola potentia ad eum; sed ut simul haec sit potentia ad sequentem actum, ac proinde nondum sit iste actus; *a.* sic habetur ens successivum; *e.*

Prob. 2^o Si motus non esset ens successivum, esset ens totum simul (nam haec sunt contradictoria); *a.* hoc repugnat; *e.*

Prob. min. Totus simul esset motus aut vix ac incipit, aut in aliquo termino posteriore permanens; *a.* sic terminus a quo et terminus ad quem deberent esse simul cum medio, quod repugnat; *e.*

Schol. Sicut in quantitate distingui possunt extensio actualis naturaliter requisita qua sint partes extra partes, et extensio interna situalis, quantitati essentialis, et actualem externam exigens quidem, sine illa possibilis tamen; ita in motu distingui possunt successio actualis naturaliter requisita, qua sint partes post partes, et successio interna, radicalis, motui essentialis, et actualem exigens quidem, sine illa cogitabilis tamen. — Et quaeritur num haec distinctio sit a parte rei, an solum rationis; seu num intrinsece repugnet omnes partes motus esse simul, sicut non absolute repugnat omnes partes corporis esse definitive? — R. Nescimus; neque apparet medium discernendi et anquirendi.

Propositio 28.

Motus est essentialiter continuus.

Prob. In hoc differunt quies et motus, quod quies est et manet, in motu autem singulae mutationes sunt et non manent; *a.* si motus esset non continuus sed interruptus, singulis moris mutationes essent et manerent; *e.* esset series succedentium quietum, non successivus motus, quod est absurdum.

Coroll. 1^m Ergo, sicut omne continuum, a) motus quivis est divisibilis sine fine; poterat nempe prius et prius sine fine desinere; — b) non constat instantibus seu partibus indivisibilibus; — c) habet partes entitativas actu, formales non actu sed potentia; — d) instantia indivisibilia continuantia formaliter sumpta, non habet nisi in potentia; — e) instantia indivisibilia terminantia formaliter sumpta habet actu; — f) sed ea non nisi connotative ab ipso motu differunt.

Coroll. 2^m *Nihil primum in motu, nihil postremum*; i. e. quacumque prima vel ultima parte motus assignata, minor in ea signari poterit quae ante vel post eam sit.

Coroll. 3^m *Id quod movetur, jam motum est*; i. e. jam non est in termino a quo seu in quiete, sed in motu.

Coroll. 4^m *Id quod movetur, movebitur*; i. e. nondum est in termino ad quem, seu in quiete, sed in motu.

Coroll. 5^m *Ergo motus incipit et desinit extrinsece*; i. e. incipit ab ultimo sui non esse, et desinit in primum sui non esse; seu incipit a termino et desinit in terminum qui sunt ab ipso distincti.

Coroll. 6^m *Ergo ab extremo ad extremum non datur transitus nisi per medium.*

ARTICULUS 2.

De natura motus physici.

Propositio 29.

Motus localis a re mota distinguitur realiter, non ut ens rationis, sed ut modus.

Stat. quaest. 1) Specialior disputatio est de una specie motus. — *Motus localis* seu *latio* est actus ejus quod fertur ut fertur, i. e. ut successive et continuo quoad suam ubicationem mutatur.

2) Quaeritur quid sit a parte rei motus localis. — R. a) *Zeno Eleates* et pauci recentes: motum esse ens rationis, non existens a parte rei, sed apparenter tantum;

b) *recentes multi*: motum esse solam mutationem relationum localium; ac proinde realiter non distingui ab ipsa re mota, sed ratione tantum;

c) *peripatetici*: motum esse aliquid a parte rei existens, distinctum a re mota distinctione reali, sed minore seu modali.

Prob. 1^a pars (*non est ens rationis*). Existit realiter motus in toto ordine rerum, teste experientia universali et evidenti; neque ad eam infirmandam quidquam probant argumenta Zenonis: *e*.

Ad antec. Dicit Zeno: a) Sagitta missa movetur aut ubi est, aut ubi non est; *a*. non primum (nam ibi quiescit); non secundum (evidenter); *e*. — R. *d. maj.* aut ubi est et manet, aut ubi est et non manet, aut ubi non est, *c*; secus, *n*. — *d. min.* movetur a loco ad locum, *c*; secus, *n*.

b) Si quid movetur per totum aliquod spatium, debet prius transire ejus dimidium; — sed et hujus dimidium, ... et in infinitum; *a*. infinita transire tempore finito non potest; *e*. — R. *d. maj.* debet haec omnia transire ut partes actuales distinctas, *n*; ut partes actu non distinctas sed continuas, *sd*. per partes sui potentiales etiam, non distinctas sed continuas, *c*; secus, *n*.

c) Testudo (A) fugiens Achillem (B), aliquod spatium percurrit dum attingit B locum ubi erat prius A, sed iterum et iterum, ... et in infinitum non attingitur...; *a*. haec sunt absurda; *e*. potius negandus est motus. — R. item.

Prob. 2^a pars (*sed est realis modus distinctus*). 1^o Ubicatio intrinseca est modus distinctus a re; *a*. motus localis nihil aliud est nisi ubicatio fluens intrinseca, i. e. continua acquisitio novae ubicationis cum continua amissione prioris ubicationis; *e*.

Prob. 2^o Motu locali fiunt in rebus continuae mutationes relationum localium realium; *a*. haec habent fundamentum reale aliud praeter rem motam ejusque quantitatem et qualitates, quod fundamentum vocabimus ubicationem fluentem; *e*.

Ad min. Relatio cujus eadem manent subjectum et terminus mutari nequit nisi mutato fundamento ab iis distincto; *a*. in motu locali idem manet subjectum cum sua quantitate et qualitatibus, et idem terminus; *e*.

Objic. Iste modus aut continuo mutatur, aut est unus in toto motu; *a*. si prius, erunt infinite multi, sicut partes motus; si posterius, iste modus aut movetur ipse aut non; si movetur, movetur per se, non per aliud (ne abeamus in infinitum), et jam per se aliquid moveri potest nullo alio superimposito modo; si non movetur, locum non mutat, quamvis rei mobili inhaereat! — R. 1) *ad maj.* continuo mutatur, at partes habet successivas non formaliter plures, sed entitative solum et potentialiter distinctas. — R. 2) *n. supp. maj.* (motus proprie non est aliquid quod movetur, sed est id quo movetur subjectum).

Coroll. 1^m Motus localis est in spatio secundum suas partes extensivas diffusus; est in tempore secundum suas partes successivas peractus; ergo fluenti ubicationi correspondet fluens quandocatio.

Coroll. 2^m Posset corpus unicum in spatio vacuo creatum moveri, nam ubicatio intrinseca etiam fluens, independens est a relationibus localibus ad alia.

Coroll. 3^m Nullum mobile potest pervenire ab uno loco in alium, nisi transeundo per spatium intermedium; nam transitus seu motus neque est in

termino a quo, neque in termino ad quem (in quibus est quies), sed in intermedio.

Coroll. 4^m Ergo neque in instanti potest a loco ad locum pervenire, nam dum transit medium continuum etiam fluunt quandocationes.

Coroll. 5^a Sine motu per medium diceretur in alium locum pervenire, sed improprie loquendo, corpus quod simul ibi replicatur et hic annihilatur.

Propositio 30.

Causa efficiens physica immediata motus localis est impetus seu nisus, qui est accidentalis qualitas alterativa corporis.

Notiones. Causa efficiens, per oppositionem ad finalem quae est terminus ad quem, seu ubicatio stabilis acquirenda; et ad formalem quae est ipsa ubicatio fluens; et ad materialem quae est ipsum corpus motum.

Physica, non per oppositionem ad *moralem*, de qua evidenter nulla est hic quaestio; sed ad *logicam* quae diceretur aliquid realiter idem, ratione tantum distinctum, sicut causa formalis et forma ipsa, logice tantum distinctae. Intellegenda est ergo causa proprio sensu: realiter distincta ab effectu.

Immediata, instrumentalis, nam causa principalis mediata est aliud agens extrinsecum, v. c. impellens. Intellegendum est igitur id quod ab agente extrinseco immediate producitur in passo, et ex quo immediate sequitur motus seu ubicatio fluens, tanquam ex causa intermedia inter agens extrinsecum et effectum producendum; et quidem tale ut producat tanquam natura sua destinatum ad efficiendum motum locatem.

Stat. quaest. Tria sunt igitur probanda: a) produci nisum in corpore patiente, i. e. aliquid quo corpus actu inclinatur in motum localem, seu exigat ubicationem fluentem; — b) hunc nisum esse distinctum ab ipso motu locali, et ab omni alio motu; — c) eumque esse veram alterationem corporis, nempe qualitatem proprie dictam.

Prob. 1^a pars (*producitur nisus*). Teste experientia: 1) continuatur motus localis in corpore mobili quod jam subtractum est ulteriori influxui moventis; — 2) corpus quod loco movetur non nisi aliqua vi opposita sisti vel detorqueri potest; — 3) motus mobilis nunc contingit accelerari, nunc retardari; — *a*. haec explicari nequeunt nisi in corpore mobili admittatur produci nisum; *e*.

Prob. min. 1 part. (continuari). Non hic explicatur effectus existens et fiens, ex causa jam non amplius influente; *a*. nisi praesens admittatur nisus, nulla jam causa influit; *e*.

Prob. min. 2 part. (sisti vel detorqueri vi). Si nulla vis nitens in motum influeret, nulla esset vincenda per vim oppositam proportionatam et majorem; *e*.

Prob. min. 3 part. (variari). Postquam causa extrinsece agens cessavit, jam

mutari, crescere, minui non potest effectus, nisi ob mutatam causam corpori moto intrinsicam, nempe nisum.

Prob. 2^a pars (*distinctus a motu*). Nisus ille : 1) permanens uniformis est, quamdiu corpus motu successivo agitur; — 2) permanens rectilinearis semper est, etiamsi corpus in gyrum agatur propter novam accedentem vim detorquentem; — 3) permanens idem saepe est, etiamsi corpus ab alia vi opposita quietum retineatur; — *a.* haec facta ostendunt distinctionem realem nisus a motu; *e.*

Ad maj. 1) Ideo motus pergit uniformiter, cessante jam causa impellente, quia pergit influxus uniformis nisus, nulla enim alia causa proportionata excogitari potest.

Ad maj. 2) Quoties corpus motum sibi permittitur, agitur recta et uniformiter, neque in curvum agitur nisi quamdiu agit causa extrinseca turbatrix.

Ad maj. 3) Saepe tamdiu quiescit corpus quamdiu extrinseca causa impediens motum agit, v. c. impediens casum rei gravis; et statim movetur, v. c. cadit, ac desinit causa extrinseca impedire; — *a.* hoc signum est permanentem fuisse nisum qui vinci deberet; *e.*

Prob. min. (*ostendunt distinctionem*). Motus e contra : 1) non permanens sed successivus est, — 2) non rectilinearis sed in curvum, — 3) nullus est dum quies est; *e.*

Prob. 3^a pars (*est qualitas*). Iste nisus seu modus essendi, quo corpus in motum localem inclinatur eumque exigit, 1) non semper adest, sed accidit, i. e. contingit inesse et non inesse, — 2) non subito adest, sed gradatim crescens producitur, gradatim minuens extinguitur, — 3) varius est intensitate sive in variis corporibus, sive in eodem corpore, quoad varios motus; — *a.* illa sunt propria qualitatis alterativae; *e.*

Propositio 31.

Inertia est corporum proprietas generalis, potentia mere passiva, receptiva nisus.

Notiones. *Inertia* est proprietas illa qua corpora motum vel quietem ex se neque acquirere, neque immutare, neque amittere possunt, sed in eodem statu permanent donec ab alia causa immutentur.

Generalis, i. e. non specificè varia pro variis speciebus, sed eadem in toto genere.

Prob. 1^a pars (*generalis*). Teste experientia, 1) omnia corpora sunt inertia, et quidem 2) eodem modo ac gradu, i. e. nec de se immutant suam quietem vel suum motum, et causae immutanti resistunt cum proportionem ad suam massam et ad nisum conceptum; — *a.* hoc signum est, inertiam esse proprietatem corporum, quae non naturam specificam sequatur, sed notae genericae corporum connexa sit; *e.*

Ad maj. Evidenter hic nulla est quaestio de activitate et locomotione viven-

tium, sed de corporum motu qui sit sine vita vel saltem sine influxu a vita.

Prob. 2^a pars (*mere passiva*). Vi inertiae suae corpora non agunt in seipsa neque in alia, neque resistunt, neque mutant; sed solum sunt capacia recipiendi ab aliis nisum unum vel alium, vel nisus intensionem vel remissionem; — *a.* ita habetur capacitas seu potentia mere passiva; cujus actus correspondens est nisus; *e.*

QUAESTIO 3.

De activitate efficiente.

Propositio 32.

Corporibus naturalibus vera inest activitas efficiens.

Stat. quaest. 1) Docet Cartesius :

a) essentiam corporis physici in abstracta extensione trinae dimensionis reponendam esse, sed hoc refutabimus alibi, neque hic refert.

b) omnem materiae variationem sive omnium formarum diversitatem pendere a motu; — et quidem a motu locali passive sumpto, non active : scilicet ab ipsa fluente ubicatione prout est in corpore moto, non in vi activa movendi prout concipitur in corpore impellente, quod impellat vi proprii sui motus.

c) causam efficientem, seu motum activum esse in Deo...; sed hoc ejus discipuli alii, materialistae, non admittunt; — alii, occasionalistae, ita explicant ut corpora sint merae occasiones, ad quarum praesentiam Deus solus omnes effectus secundum leges generales a se praestitutas producat.

2) Quaeri potest :

a) utrum corpora sint merae occasiones, an verae causae efficientes.

b) utrum haec causalitas exerceatur per motus passivos solum, an per motum activum etiam.

c) utrum per solum motum, sive passivum sive activum, an per aliam actionem transeuntem, alterativam passi.

d) utrum haec activitas sit a parte agentis semper in actu, an sit in potentia donec ab extrinseco compleatur virtus ut transeat in actum.

3) Hic ad primum quaesitum respondentes, non tribuimus corporibus vim creandi, sed vere agendi, i. e. educendi formas ex potentia materiae; neque tribuimus anorganicis vim seipsa movendi, sed solum aliquam causae et activitatis rationem (*S. Thom.* 1 p. q. 105. a. 5. — *Gent.* 1. 3. c. 69. — *Suar.* *Met.* d. 18. s. 1).

Prob. 1^o Contra rationem sapientiae est, ut sit aliquid frustra in operibus sapientis; *a.* si corpora nullo modo operantur ad effectus producendos, sed solus Deus operatur omnia immediate, frustra adhibentur ab eo corpora tanta varietate et complicatione ornata, tam aptis organis et mediis instructa; *e.*

Prob. 2^o Occasionalismus omnem rerum naturalium scientiam tollit, et inducit scepticismum universalem, atque idealismum; *e.*